



~~III~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-19.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

theol. Vol. 40

einzelner verzeichnet 30/3. 1915.

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
PRINCIPIO
FIDEI

tâm V. quàm N. Testamenti,

in quâ

Verf. XIX. XX. XXI. II. Epist. Petr. Cap. I. eno-
dantur, & ab adversariorum corruptelis

vindicantur,

ANNUENTE GRATIA DIVINA,

PRÆSIDE,

UIRO

Plurimum Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo,

DN. JOHANNES SCHARFIO,

SS. Theol. Doct. & P. P. longè celeberrimo, Col-
legii Seniore, & h. t. Decano spectatissimo, Dn. Præce-
ptore, Patrono ac Promotore suo omni pietatis & obser-
vantia cultu æternum prosequendo,

ad ventilandum proposita

CHRISTIANO VOGELIO,

Ang. Saxone.

In Acroaterio majori, d. 8. April.

H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS ROHNERI Acad. Typogr.

Anno M. DC. LII.



כִּהְיוּ

PRÆLOQUIUM.



Olitarium & unicum salutis
consequendæ medium esse Verbum
DEI nemo eorum, qui intra pomæ-
ria Ecclesiæ vivunt, salvâ conscien-
tia vel negare, vel de eo dubitare po-
test aut debet: cum ipse salutis no-
stræ Autor, DEUS Ter. Opt. Ter.
Max. se in eo, suamque voluntatem
de omnibus ad salutem nostram ne-
cessarius ex liberrima sua & erga omnes omninò homines
beneficâ determinatione manifestare voluerit. Cum verò
ipsius infinitæ scientiæ nihil tectum occultumque sit, quin po-
tius inde ab æterno omnes diaboli erga genus humanum in sa-
lutis via impediendum fraudes & machinas cognoverit peni-
tus, perspexeritque, nullum non lapidem moturum illum in-
sensissimum humani generis hostem, quò Verbum divinum, ita
tantum ore prolatum, depravare possit; placuit divini omni-
scientiæ, ut alia hujus rei omittamus modò argumenta, idem
suum verbum, quod ad tempus aliquod Prophetæ & Apосто-
li prædicabant, in literas per eosdem redigere, & ad Verbum
hoc scriptum, cui post completum in N. Test. canonem nihil
sub specie aut credendi, aut cultus divini addi detrahive de-
bet, nisi quis & sibi plagas in libro conscriptas im-
poni, aut portionem suam de libro vitæ detrahi velit. Apoc.
XXII, 29. omnes homines remittere, qui & CHRISTUM, sa-
lutis nostræ triangularem lapidem vitamque æternam inveni-
re cupiunt. Joh. V, 39 Sed ne diabolicæ malitiæ quid desit,
vix dici potest, quot semper excitati fuerint hæretici, qui hoc

fidei nostræ fundamentum unicum sagillare, imperfectionis, depravationisque arguere, & totum, nisi singularis DEI providentia præstò fuisset, evertere allaboraverint. Quò ergò hi in oppugnando hoc principio magis occupati, eò diligentior veræ doctrinæ de Scriptura sacra repetitio instituenda erit. Cujus causa nos manu ductione dicti Perrini, assistente Spiritus sancti gratiâ, quædam de Scriptura sacra brevi hæc Disputatione includemus, eamque analysi Grammaticâ, dispositione Logica, & porismatum nonnullorum Theologorum pertrac-tatione absolvemus.

ANALYSIS PHILOLOGICA.

V. XIX. §. I. Particulas copulativas præter officium conjungendi, quod peragunt in orationibus, singulare quid nonnunquam in eo, cui adduntur, designare, & particulas exaggerantes fieri, ipsa & V. & N. Testamenti scriptura testatur. Jos. II, 1. Psal. XVIII, 1. Marc. XVI, 7. Actor. I, 14. & c. XXVI, 22. *Conf. Dn. D. Glass. Lib. 3. Philol. sacra tract. 7. can. 3.* Hoc loco idem quoque conjunctio καὶ præstat: καὶ ἔχομεν, quæ per præterea, insuper, etiam, explicanda. Verbum autem ἔχομεν non solum indicat nudam aliquâ ipsius rei possessionem, verum cum respectu quodâ, tum ut ab eâ gubernetur I. Cor. VI, 19. & I. Cor. VII, 40. quippe hæc ipsa scriptura tanquam norma vim directivam habet, Esa. VIII, 20. tum ut eam firmiter retineat, Rom. I, 28. Phil. I, 7. I. Tim. I, 19. Pluralem verò numerum adhibuit Petrus respiciendo simul ipsos, ad quos scribit, iisque se adjungit, non tam modestiæ causa, ut putat *Estius*, quàm ad demonstrandum unum & idem fundamentum, quo & ipsius, & eorum, quibus scribebat, una & eadem fides niti debebat.

§. 2. Βεβαιότερον: βέβαιον significat certum, firmum & indubitatum, cui tutò fidem habere possumus, unde etiam cum voce ἀσφαλῆς conjungitur. Hebr. VI, 19. & à quo nullo modo discedendum: Comparativum autem quidam explicant per positivum βέβαιον, ut *Erasmus, Gagnarius, Greiserus Tom. I. defens. Bellarm. p. 1908.* quem etiam versio B. *Lutberi* videtur innuere.

innuere. Sed comparativum pro positivo in Scriptura
usurpari nullis, vel raris exemplis probari potest, teste B. Gerh.
in comment. in b. l. qui unum exemplum adducit ex Act. XVII,
21. Dn. D. Glasius illius enallages ne quidem meminit. Alii
per superlativum βεβαιότατος, quem quidem modum loquen-
di Scripturae usitatum concedimus; sed cum à litera absq; ur-
gente necessitate ab ipso Spiritu S. in Scriptura sacra monstra-
ta, non sit discedendum, imò comparativus non tantum sco-
po Apostoli conveniens, sed ad eundem demonstrandum
omniò necessarius, meritò ejusdem significationem retine-
mus. Et sic nobiscum facit Estius in b. l.

§. 3. Λόγον προφητικόν. Quidam Græci codices legunt,
τῶν προφητικῶν λόγων, sed contra scopum ipsius Apostoli.
Λόγος hic non denotat λόγον ὑπαστατικόν & substantiale Ver-
bum, ipsum Filium DEI, ut sumitur Joh. I, 1. & quidem ex Gen.
I, 3. conf. Psal. XXIII, 6. Neque immediatè & directè λόγον
ἐνδιάθετον, internum Verbum in mente DEI conceptum, sicuti
sunt DEI decreta: sed προφορικόν & prolatum, quo ille ἐνδιά-
θετος & internum DEI verbum ad extra hominibus manife-
statur: qui λόγος προφορικός hic non debet explicari de vo-
ce Patris cum Erasmo, quippe & antecedentia & subsequenta
id non concedunt: multò minus de homiliis Doctorum in
Prophetas, juxta nonnullos Pontificios, quibus non compe-
tere possunt elogia huic λόγῳ προφητικῷ in h. l. assignata; sed
de ipso DEI verbo in scripturas relato. Siquidem ita scriptu-
ra sacra rectè describitur ab eo, quod ipsi essentialis est, in-
quantum ipsum DEI Verbum.

§. 4. Λόγος autem προφητικός hic non oralem traditi-
onem, sed ipsum Verbum Propheticum scriptum indicat,
cum illud partim ex oppositione pateat, v. 18. dum divinæ sibi
factæ revelationis, orali propositioni & traditioni hunc
λόγον opponit; partim ex subsequenti versiculo 20. ubi ad
προφητείαν γραφῆς respicitur; partim quoque ex modo lo-
quendi Scriptura sacra usitato: Ipse Spiritus s. enim in Scri-
ptura s. ut ostenderet non essentialiter, sed accidentaliter tan-
tum inter se differre Verbum DEI & Scripturam sacram, sive

enim ore profertur, sive legitur, sive auditur, manet idem DEI Verbum, permutat ejusmodi phrasas inter se; quod dictum est Matth. I, 22. c. II, 15. c. IV, 14. quod scriptum est, Matth. IV, 4, 7, 10. Marc. XV, 28. Joh. XIX, 36. Rom. IV, 3. Προφητικός dicitur λόγος non à lege tantum, neque à particula quadam certa, ut Beda, Lyranus, Gagneius, Cornel. à Lapid. volunt, sed de toto sermone Prophetico, ut ex scopo & subsequentibus versiculis patet, & Salmero in h. l. suo comprobat testimonio.

§. 5. ὡ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες. Præter illam verborum trajectionem, quam B. Gerb. in h. l. hic annotat, & simile exemplum ex I. Pet. III, 21. adducit, ipsum verbum προσέχειν occurrit, quod duo in se includit, primò indefessum & diligens studium, indagacionem vel inquisitionem sine fine instituendam in aliquam rem, ejusque accuratam attentionem. Matth. VII, 15. c. X, 17. hinc etiam conjunguntur ὁρᾶτε καὶ προσέχετε cap. XVI, 6. quæ diligens attentio hic requiritur ad cavendum malum: in bono autem etiam usurpatur & quidem ut illa attentio cum deliberatione certa & proposito fiat, Act. V, 35. conf. præsertim Act. XVI, 14. c. XX, 28. quod studium diligens ipse CHRISTUS Iohan. V, 39. explicat per ἐρευνᾶτε, imperativum; similitudine desumpta vel à canibus venaticis, vel potissimum metalli fossoribus diligentissimam & accuratissimam inveniendi venas æris curam susipientibus; unde melius redditur per intendere, ut Cornel. à Lap. videtur ex August. tract. 23. in Iohan. cui ex B. Gerb. alia loca August. & Patrum aliorum adjungi possunt, explicare, quàm per attendere, ut vertit Vulgata. Deinde avidam receptionem & retentionem perpetuam & obedientiam, ut hæc significatio colligi potest I. Tim. I, 4. I. Tim. IV, 1. Tit. I, 14. conf. ex Hebræo דּוּר attendere I. Sam. XV, 21. Psal. LXVI, 19. Es. XLVIII, 18. quod itidem ipsa Scriptura ita explicat, Joh. XIII, 17. Jac. I, 22. II. Tim. III, 14. Hebr. III, 14.

§. 6. ὡς λύχνος φαίνοντι ἐν ἀνυχμηῶ τόπῳ. Λύχνος ὡς τὸ λυεῖν τὸ νυχος dicitur, propriè est lucerna accensa, ut fax, candela, lampas, conf. Matth. V, 15. Marc. IV, 21. Luc. VIII, 16. c. XI, 33. proinde in sese habet lucem & splendorem, ut possit tenebras depellere & omnibus illis lucere, qui in domo
sunt,

sunt, & ob actualem illam illuminationem additur *Φαίνων*,
 quod & lucere & prælucere explicari potest. Ejusmodi *λύχ-*
ν, quia dicitur *λογος Προφητικός*, necesse est ut hic in sese
 etiam habeat suam lucem ab originaria luce, scil. ipso DEO,
 acceptam ad illuminandum homines. Additur autem præ-
 terea in *ἀσχημένω τόπω*. *Ἀσχημένος* in hoc unico loco tan-
 tum in toto N. Test. invenitur, alias significat squalidum, sic-
 cum, tenebrosum. Per quem locum caliginosum propriè
 Vetus Testam. hic intelligendum erit, ut ex serie connexionis
 & scopo patet, non quidem ac si nonnulli Articuli fidei, ad
 salutem unicuique necessarii semper vidictorum Joh. XVII, 30.
 Act. IV, 12. ita obscurè ibi proponerentur, ut à quovis rectè
 & rite disposito non possint intelligi vel cognosci, sed compa-
 rativè, in respectu ad N. Test. siquidem præeunte Scriptura sa-
 crà V. Test. nox vocatur respectu Novi, & N. Test. dies respectu
 Veteris, Rom. XIII, 12. licet non negemus posse etiam ita vo-
 cari cor humanum, quod in sese consideratum locus caligino-
 sus est: Si quidem meræ tenebræ Eph. IV, 18. I. Cor. II, 14. Neq;
 verò etiam Patrum, (ut *Augustin. in Psal. LI. & tract. XXXV.*
in Johan. Bedæ in comment. in b. l. & quorundam Nostrorum
Theologorum, ut B. Gerb. in Exeg. Tom. I. L. C. de script. S.
375.) sententia analogiæ fidei contraria, dum explicant hæc ver-
 ba de toto presentis vitæ tempore, quod noctem errorum &
 tenebrarum vocant: verùm ipsi scopo Apostoli & verbis non
 satis responderet.

S. 7. *Ἔως ἡμεῶν διαυγία*. Per hanc diem *Basil. in cap.*
XIII. Esaiæ. August. antea adductus & plerique Intetpre-
 tes intelligunt diem extremi judicii & novissimi adventus
 CHRISTI, quæ κατ' ἐξοχήν dies vocatur, siquidem nunquam
 finietur aut tenebrescet, neque illam nox ulla sequetur. Unde
 Scriptura sacra vocatur *ἡμέρα ἐκείνη* Matth. VII, 22. c. XXIIV, 36.
 I. The. I, 10. & aliis locis: vocatur etiam dies simpliciter I. The. I,
 V, 4 Hebr. X, 25. Verùm melius per illam diem tempus N.
 Test. exprimi statuitur, in quantum vidicti illius Rom. XIII,
 12. N. Test. in respectu ad Vetus dies, quoad uberiores, clari-
 orem & perfectiorem lucem divinæ notitiæ nominatur: quip-
 pe

pe vox *ἡμέρας* de die iudicii extremi additum habet in Scriptu-
ra sacra vel pronomen *ἐκείνη*, vel articulum *δεσπικόν*, quod u-
trumq; hic deest: *διαυγάσω* quoq; semel in N. Test. in h. l. adhi-
betur & significat illucesco. Non verò necesse, ut hic ellypsin
singamus pronominis *ὑμῶν*; siquidem in subsequentibus ver-
bis suppletur sententia *ἐν ταῖς καρδίαις*.

§. 8. Καὶ Φωσφόρος ἀνατείλη. Cornel. à Lapide, Estius in
h. l. sentiunt idem esse & dici quod in prioribus verbis dictum,
ἕως ἡμέρας διαυγάσω, & hic repetitionem quandam fieri cum
quâdam amplificatione: ubi quidem concedimus res planè
diversas non proponi, attamen negamus prorsus unum &
idem dici, nisi posteriora verba per exegesis ulteriorem expli-
centur, quippe *Ἐπιφάνεια* ejusmodi Spiritus s. in Script. s.
non adhibet. Dicimus ergò per diem illuscescentem intel-
ligi ipsum tempus N. Testamenti, ita à luce clariori denomi-
natū; per Phosphorum orientem ipsam plenam cognitionem
Evangelicam fidemque, quæ est in cordibus hominum, scil.
in intellectu & voluntate. Siquidem per *Φωσφόρος* non
intelligi posse propriè vitam æternam, vel ejusdem lucem,
pater ex oppositione Scripturæ Propheticae & Apostolicae,
in quâ clarior in hâc vita lux concedatur ut in priorib. dictum:
neque etiam ipsum CHRISTUM, qui alias se Apoc. XXII, 16.
stellam splendidam & matutinam vocat: siquidem hoc sit re-
spectu beneficiorum CHRISTI, quæ in hâc vita consequimur;
imò CHRISTUS etiam illis jam tum ortus fuerat, quibus hæc
scribuntur, & in die novissimo, non ut Phosphorus cum obscu-
riori luce, sed solis lucē meridianā etiā superans venturus est.

Verf. XX. §. 9. Τὸ πρῶτον γινώσκοντες. Πρῶτον præter
alias significationes, quas videre licet in *Petri Ravanelli Biblio-*
sbeca sacra, & ordinem indicat, quid primum cognosci de-
beat, unde *Erasmus & Vatavius* h. l. per prius explicant, &
gradum notat, & sic per *potissimum*, *in primis* expli-
candum. Luc. XII, 1. Rom. I, 8. quemadmodum etiam hic
rectius ita exponitur, ut dignitatem & præstantiam indicet,
in quâ admonitionis hujus necessitas fundata est: siquidem
non simpliciter Apostolus asserere vult, quod ipsi sciant Pre-
phe-

phetiam Scripturæ non esse propriæ interpretationis, sed lau-
dando eos, quod rectè faciant attendentes sermoni Propheti-
co, vers. priori: hic admonitionem quandam quasi insinuat,
quod primùm & ante omnia requiratur, ut cognoscant, Scri-
pturam sacram non esse *ιδίας διπλύσεως*; unde participium
γινώσκοντες non benè à Vulgato h.l. per *intelligentes* redditum, si-
quidem *γινώσκειν* cognoscere certam notitiam & firmam animi
comprehensionem exprimit. I. Joh. III, 19. c. IV, 2. 6.

§. 10. Ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς. Quidam hoc ex-
plicant per Hebraismum, ita ut transpositio quædam verbo-
rum instituenda esset, *γραφῆς προφητεία*, & nomen in re-
gimine positum sit, ac idem significet, quod scriptura Prophe-
tica, & si transtulit *Erasmus*. Verùm licet illa transpositio
non assumatur, utique *προφητεία γραφῆς* per Prophetiam
scripturam rectè explicatur, non per modum durum & inso-
litum, ut putat *Estius*, cum ipsi scripturæ N. T. conveniens
sit Matth. XIII, 5. Luc. I, 48. 1. Cor. I, 21. & præsertim huic
Auctori instrumentali Petro I. Pet. I, 7. Ubi *δοκίμω τῆς πίστεως* ex-
ploratio fidei per exploratam fidem obsubiunctum prædica-
tum, quod illa fides scilicet probata inveniatur in laudem &
gloriam &c. & collationem inter fidem & aurum institutam
explicandâ I. Petr. III, 20. *προφητεία* autem teste *Lorino* in h. l.
Cornelio à Lapide, qui alios etiam adducit, est omnis Scriptura
sacra, quibus *Estius* contradicit, per illam non oraculum Pro-
pheticum, sive scriptum s. prolatum, sed ipsam vel prædictio-
nem Prophetiam, vel etiam script. Prophetiam, & Verbi divi-
ni expositionem sacram intelligens. Quam sententiam *Beda*
in comment. etiam videtur sequi. Licet fatente ipso *Estio* hi duo
sensus in unum ferè confluant, & res quoque eodem redeat,
scil. quoad id quod probandum contra Pontificios in hac ma-
teria, quæcunque vocis assumatur significatio, ut loquitur *B.*
Gerb. in b. l., attamen textui convenientior est prior explica-
tio, cum vox *προφητείας* ita etiam in vers. subseq. 21. sumatur
& adhibeatur de vaticiniis Prophetarum scriptis, Matth. XIII,
14. Apoc. I, 3. c. XXII. 7, 10, 18, 19. Intelligimus ergò nos hic
non tantum strictè Prophetiam sermonem de Messia ysaia-
ro, de quo vers. præcedenti, ut explicat *Erasmus*, sed latè
B

quantum omnem sacram de CHRISTO concionem infallibi-
liter prolatam denotat conf. Mat. XX, 41. c. XVIII, 33, Eph. II, 20.
totam Scripturam sacram, ut universalis particula probat & si-
mul scopus Petri, & adjecta vox γραφή, quæ accidens verbi,
indicat.

§. 11. Ἰδίας ἐπιλύσεως ἔ γίνεται. Ἴδιον non opponitur hîc
communî, ut I. Cor. VII. 2, 7. quo in sensu ferè accipere viden-
tur Pontificii, qui propriam interpretationem illam dicunt,
quàm privata quædam persona, vel aliquod individuum pro-
fert, sed opponitur alieno, & ei quod aliunde habetur, I. Cor.
VII, 4. Jac. I, 14. Actor. XXVIII, 30. & sensus est, quod inter-
pretatio non desumenda sit ex proprio hominis, vel alterius
creaturæ sive unus sit homo, sive duo, sive totum Concilium,
ingenio & arbitrio, sed aliunde, scil. respectu hujus subjecti,
desumenda: nam quia ipsa Scriptura s. non est ex homine, ut
versic. sequente dicitur, sed aliunde, à DEO: ita etiam inter-
pretatio non ex homine sumenda, sed à DEO, & quidem ex
ipsa Scriptura s. ubi Deus suam mentem nobis revelavit. Quoad
vocem verò ἐπιλύσεως, varia occurrit lectio. Calvinus vertit
impulsus seu afflatus, ac si in Græco esset ἐπήλυσις per η, cui
assentitur Hemmingius in h. l. Beza quoque non contradicit,
quanquam ἐπήλυσις non inveniri in Græcis codicibus, sed ma-
gis poëticam vocem esse concedat. Verùm præterquam quod
mutatio verborum non sit concedenda, nisi antiquissimi Co-
dices, & quidem plurimi eandem ostendant, propter quorum
defectum Beza eandem Calvini & Hemmingii sententiam reji-
cere potuisset ex propria confessione: sanè acceptio illius vo-
cis per η idem insinuaret, quod demum Petrus subsequenti
versic. exprimit, & sic ταυτολογία oriretur: inò ipsa vox ἐπιλύ-
ειν Scripturæ sacre usitata est, Marc. IV, 34. Actor. XIX, 3, licet
juxta nonnullos potius in posteriori loco pro determinari,
quàm explicari accipiendum sit. Ἐπίλυσις autem dicitur quasi
nodi alicujus solutio, quàm ipsa oppositio, suppeditat; proinde
non rectè ab Hemmingio per impetum vel impulsus redditur.

§. 12. Οὐ γὰρ θελήματι ἀθρώπων ἢ ἐχθρῶν ποτε προφητεία.
Vulgata hîc reddidit, voluntate humanâ, sed melius juxta Græ-
cum

cum textum voluntate hominis, ita quidem, ut *ἔλεγμα ἀνθρώπου*
 πρ non per metonymiam efficientis pro effectu ponatur & per
 opus humanum, cujus causa voluntas est, ut *Cornel. à Lapide*
 vult, sed per ipsum voluntatis liberum arbitrium explicari de-
 beat. *Ἡρέχθη à Φέρομαι* hoc loco significat afferi, & quidem,
 teste *B. Gerb.* in h. l, respectus habetur ad vers. 17. 18. ubi idem
 verbum adhibetur. *Προφητεία* ab *Estio* dicitur usus & functio
 Prophetandi seu prædicendi, futura & præferendi ad homines
 arcana DEI: à *Beda*, doctrina Prophetica. Nos per hanc
 Prophetiam intelligimus totam Scripturam sacram, conf.
 quæ §. 10. dicta sunt.

§. 3. *Ἄλλ' ὑπὸ πνεύματι θεοῦ ἀγίου φερόμενοι.* Causa principa-
 lis Scripturæ sacræ hic indicatur, quæ Spiritus sanctus, conf.
 II. Sam. XXIII, 2. Act. I, 16. Actio autem Spiritus sancti, quoad
 causam instrumentalem indicatur verbo *Φερόμενοι*, quod pro-
 priè est acti & impulsivi. Unde rectè *B. Lutherus*, *getrieben von dem*
Heiligen Geist; eandem vocem adhibet *Lucas* in descriptione
 visibilis effusionis die Pentecostes super Apostolos Act. II,
 2. factæ, ubi ad Verbi divini prædicationem & scriptionem ipsi
 impulsivi sunt, licet speciale quid hic quoad externa accesserit:
 ab Apostolo Paulo II. Tim. III, 16. vocatur *πρόη*; unde Scriptu-
 ra sacra *θεόπνευστος*; Heb. I, 1. explicatur ita quod DEUS locu-
 tus sit per Prophetas, & quod Spiritus CHRISTI in Prophetis
 fuerit prænunciatus &c. conf. I. Pet. I, 11. Hic autem impul-
 sus Spiritus sancti non factus est, ut quidam putavit, contra
 quem disputat *Beda in comment.* h. l, ita ut non intellexerint,
 quæ loquerentur, nec in potestate sua habuerint non loqui,
 sed per illuminationem mentis interioris, cui rerum cœlesti-
 um & divinarum notitia infusa fuit, quam insequitur infalli-
 bilitas verborum & rerum, & indicat hæc vox peculiarem mo-
 tum ad prædicationem, & scriptionem qui internum fuit
 mandatum, ad quod nonnunquam etiam externum, Apoc. I,
 v. 10. accessit.

§. 14, *Φερόμενοι ἐλάλησαν.* *Λαλία* hæc etiam, teste *Lo-
 rino* & *Estio* in h. l. includit scriptionem, vide quæ §. 4.
 diximus, & conf. Act. II, 31. quod scriptum erat Psal. XVI, 10.

Rom. III, 19. ubi sermo est de Scriptura Veteris Test., ut ex præcedentibus patet: hinc ipsæ Scripturæ sacræ vocantur eloquia DEI. Rom. III, 2. Materiam autem & prædicationis & scriptionis Apostolus Petrus, subintelligit, scilicet ipsa Oracula DEI, scilicet *λογον προφητικόν* v. 19. *προφητείαν* *ῥησέως* v. 20. & *προφητείαν* verbi hoc *ἡεὶ ἀνθρώποι* dicuntur & Prophetæ V. I. Sam. II, 27. cap. IX, 6. & N. Testamenti I. Tim. VI, II. II. Tim. III, 17. quia ratione officii peculiarem habent conjunctionem cum DEO: ulterius autem additur, quod fuerint *ἅγιοι*. Licet quidem illi ipsi, qui Verbum DEI impulsu Spiritus Sancti ordinariè prædicarunt & scripserunt, habuerint & imputatam & inherentem sanctitatem, attamen de illis hæc non tam loquitur Petrus, quam de peculiari quodam sanctitatis elogio, quod segregationem & destinationem specialem ad hoc opus notat, ut patet ex ipso impulsu Spiritus sancti, si quidem sanctum est segregatum & destinatum usui sacro. Exod. XXII, 31. Levit. XXI, 6, 7. II. Reg. IV, 9. Luc. I, 70.

DISPOSITIO LOGICA.

§. 1. Petrus, ut causa ministerialis hujus Epistolæ, sicut ex inscriptione & propria in eadem appellatione cap. I, v. 1. ut ut & præsentia, quâ cum Jacobo qui antequam hæc Epistola scripta, mortuus fuit) & Johanne spectatorem transfigurationis CHRISTI legit. Matth. XVII, 5. & primitivæ Ecclesiæ testimonio patet, conf. *B. Gerh. in proleg. comment.* hujus epist. præter præmium, inscriptionem, & salutationem continens v. 1. adhibet adhortationem, ad quam commemoratione beneficiorum eos excitat v. 3, 4. ad studium in fide tum proficiendi v. 5. cujus adhortationis causas adducit v. 12. tum constanter perstandi à v. 16. ad finem, ad quam in fide & confessione doctrinæ constantiam illis persuadendam argumentum desumit ab immota veritate ac certitudine doctrinæ illius, quam ipse illis tradiderat, ipsique jam amplexi fuerant. Et quidem eandem probat tum per *ἀγῶν* & remotionem doctrinarum fabularum, sicuti vox *μύθοι* ita in N. T. usurpatur I. Tim. I, 4. c. IV, 7. II. Tim. IV, 4. Tit. I, 14. quas non secutus; tum
per

per *ἦσαν* & positionem, tum ex *αὐτοψία* majestatis CHRISTI in transfiguratione, & *αὐτηκοία* vocis ἐ cœlo delatæ v. 16, 17, 18. tum *πνευματικῶ λόγῳ* Vet. Testamenti v. 19. per quem totum Vet. Test. intelligendum antea § 4. dictum.

§ 2. Ad hunc Propheticum sermonem imprimis remittit Judæos, ad quos hanc, ut & primam, scripsit Epistolam per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam dispersos. conf. I. Pet. I, 1. & II. epist. III, 1. & eundem firmiorem dicit non fabulis doctis v. 16. Siquidem illa comparatio nimis dura esset, parumque firmitatis Prophetico sermone adscriberet, ut propterea illi fidei suæ constantiam exinde haurire possent, cum præsertim illas rejiciat; neque revelatione Angelicâ, cum ex textu probari non possit, respectum fieri ad locum Gal. I, 8. neque vel ipsâ transfiguratione CHRISTI, vel etiam voce Patris, quippe ipsa transfiguratione, ut ex textu patet, ab ipsa voce Patris hic non potest distingui. Vox Patris autem lumen fidei supernaturale & divinum menti Petri communicavit, ut ille crederet hanc esse veram & à DEO profectam, & sic fuit firmissima. Firmius enim nil esse potest, quàm quod ab ipsius DEI ore profertur. Propterea *Cornelii à Lapide* in h. l. opinio subsistere non potest, qui putat Propheticum hunc sermonem testimonio oculari, ipsa visione, & aurito, scil. auditione Perrina non tantum respectu aliorum, verum etiam ipsius Petri firmiorem fuisse: verum ab ipsa præprimis auditione non potest ipsa vox Patris, ut objectum, excludi. Ergò adhuc illa ipsa manet difficultas, ut jam non adducamus aliorum quoque sententias, quæ in prioribus etiam refutatae sunt.

§ 3. Veri proinde juxta verba Scripturæ sacrae sententiâ est eorum, qui firmiorem sermonem Propheticum esse dicunt non ipsa voce Patris, quæ in transfiguratione CHRISTI à Petro & aliis audita fuit, sed ipso testimonio, prolatione & traditione Petri, & quidem respectu eorum, ad quos Petrus scripserat, apud quos ex Judaismo conversos Prophetarum scripta tot seculorum consensu confirmata in summa erant autoritate, quam Apostolorum prædicatio nondum attigerat. Ne igitur

domestico quasi testimonio tantum niti ipsius doctrina videretur, provocat non tantum ad λόγον προφητικόν, more aliàs CHRISTO, & reliquis Apostolis usitato in Scriptura sacra, sicuti Chrysostr. homil. 52. in cap. 26. Actor. scribit de Paulo, qui, ne videatur ipse Doctor esse, adducit Prophetas & Moysen, & ostendit huic suam doctrinam in totum conformem esse, sed ad eundem, tanquam normam, eos remittit, & eidem ut attendant, maximè adhortatur, simulq; propter studium jam antea in eum collatum laudat. Describit hunc Propheticum sermonem ab intrinseca proprietate, quà in fide corroborari possunt, quia est lucerna lucens non tantum objectivè, ratione verborum, quæ intelligibiliter à Spiritu sancto concepta sunt, ut attendenti vi verborum perspicuus oriatur sensus: & ipsarum rerum aliàs respectu intellectus nostri obscurissimarum, quas intelligibiliter proponit: verum etiam subjectivè & effectivè, hominis cordi non repugnantè malitiosè, tenebris connatis depulsis, lucem inferendo, tum quoad sensum literalem, tum quoad salutarem. Et hanc claritatem Scripturæ & perspicuitatem quoad gradus majorem dicit in N. T. quàm Veteri: quippe in hoc est lucerna lucens, respectivè si sumitur, licet aliàs simpliciter etiam toti Scripturæ id attribuat. Ps. CXIX, 105. in illo verò ipse dies elucescit, lucifer cognitionis perfectæ oritur in ipsorum cordibus.

§. 4. Versiculo hoc XX, præscribit Petrus illis, qui Prophetico sermone attendebant, regulam aliquam & fundamentum generale, quod in diligenti lectione & auscultatione Verbi divini præsupponendum, scilicet nullam Scripturam sacram, vel particulam ejus esse propriæ interpretationis: ubi per propriam interpretationem non erit intelligenda diligens uniuscujusq; inquisitio de vero sensu Verbi DEI ex aliis Scripturæ locis; quam interpretationem cuiq; privato concedimus ad confirmandam propriam suam fidem & examen privatum de Doctoribus instituendum vi, Matth. VII, 15. Act. XVII, 11. Neque explicatio, quæ per publicum Ecclesiæ fit ministrum, cui publicum docendi munus demandatū in Ecclesia fit, coram populo ex ipsa Scriptura sacra deprompta: sed illa, quam vel unius privatus

vatus auctoritatem sibi publicam sumens, vel plures, totum scil. concilium, non ex Scriptura afferunt, sed aliunde, scilicet ex suo cerebro & commentis humanis in Scripturam inferunt, ut *Beda in annot. ad vers. 16. hujus capituli teste B. Gerb. in b. l. refert.* Hæretici (ut etiam: Judæi nondum conversi) acceptis DEI Verbi mysteriis de cætero non divinis Scripturis attendere, sed ad suum potius sensum erroneum has malè interpretando transferre student.

§. 5. Ad hoc generale fundamentum probandum adducit in versic. XXI. rationem desumptam à principali Autore Scripturæ sacræ, & quidem per *ἀθαν* remouet voluntatem humanam, quæ omnem voluntatem, quæ non est diuina, remotam vult; siquidem immediatè sibi hic opponuntur voluntas humana & impulsus Spiritûs sancti; & per *θεου* ponit solum DEUM, & quidem Spiritum sanctum, non excludendo Patrem, Heb. 1, 1. aut Filium Joh. 1, 18. Adducit autem modum, scilicet ipsum impulsus Spiritûs sancti, quo ducti sunt illi, qui Verbum DEI scripserunt. Ex quibus colligit: Qui est Principalis causa Scripturæ sacræ, ab eo debet etiam peti interpretatio Scripturæ sacræ. Sed Spiritus sanctus, non humana voluntas, est causa principalis. E. Proponit autem Spiritus Sanctus mentem suam in ipsa Scriptura sacræ. Ergo ex ipsa debet etiam hujus vel illius dicti explicatio desumi.

PORISMATA THEOLOGICA.

I.

Scriptura sacra est norma rerum credendarum, & in sese infallibilem suam habet maiestatem, & respectu nostri, summam Auctoritatem, ipsâque Ecclesia maiorem.

Tri

Tria potissimum explicanda I est ipsa Scripturæ majestas infallibilis, quæ à nonnullis Nostratibus Theologis appellatur Authoritas: verùm commodius videtur vocabulum Majestatis infallibilis, quæ ipsi Scripturæ sacræ interna est & voce *βεβαιότερον* indicatur. Qui enim sermo est firmior, ille sine dubio est firmus, & hic quidem firmissimus, cum efficienter hæc infallibilis Majestas ab ipso DEO Authore, ipsi communicetur, formaliter ex conceptu divino & veritate prima, quam in se continet, oriatur. Et sic rectè licet argumentate à firmitate V. Testamenti ad firmitatem totius Scripturæ sacræ, quia est totum homogeneous, ubi partes ejusdem sunt naturæ. 2. Authoritas respectu nostri est summa, in quantum ipsa Scriptura sacra tantum admittitur, & non in totum rejicitur: propterea ipse Petrus ad ecclesiam scribens hanc Epistolam, eandem remittit ad Scripturam sacram, non ad Ecclesiam aliam. Licet autem ratione constantiæ in fide salvifica illud fiat, attamen rectè exinde colligitur quoque quod ratione fidei salvificæ inchoandæ eandem obtineat Authoritatem, quia & inchoandæ & corroborandæ fidei salvificæ idem principium sit necesse est. Illa ergò Majestas infallibilis intrinseca Scripturæ sacræ quoque apud nos sibi conciliat suam Authoritatem, ut fide divinâ ipsi credamus. Joh. III, 33. I, Joh. V, 10. Rom. I, 15. Ecclesiæ autem testimonium solum externum est & probabilem Authoritatem humanam tantum concilat Scripturæ sacræ, & propter illam probabilitatem nonnunquam ratione ordinis primo loco proponi potest in gentilium conversione, ita tamen ut *διακονικῶς* testetur de Authoritate Scripturæ sacræ, non *δικαστικῶς* eandem ipsi conferat. Conf. B. Gerb. Exeg. in co de script. s. c. 3. 3. Ex dictis per se fluit majorem Scripturæ sacræ Authoritatem esse quàm Ecclesiæ, cum illa divinam, infallibilem habeat Majestatem, hæc verò non, sed potius ab illa dependeat, & ex Scriptura sacra, quæ vera Ecclesia sit, cognosci debeat.

II. Lai-

II.

Laici etiam Scripturam sacram legere debent.

Petrus omnes eos, ad quos scribit, bene facere affirmat, quod attendant sermoni Prophetico: inter illos autem fuerunt etiam laici; & quidem illud attendere non tantum de auditione prædicati Verbi explicandum, sed etiam de lectione, quippe Scripturis debent attendere Joh. V, 39. Actor. XVII, 11. ut porro exinde patet, quia expressè λόγος & φησὶς vocatur: & sic Ecclesiæ explicatio hic non intelligenda, quæ non est λόγος & φησὶς: imò illi, qui audire debent, illi etiam debent legere: est enim eadem ratio. confer. Deuter. VI, 8. c. XXXI, n. I. Thess. V, 27. Quæ verò per accidens lectioni adveniunt, ipsi lectioni non adscribenda, neque ipsam rem tollere possunt.

III.

Scriptura sacra est clara & perspicua.

Non negamus mysteria in Scriptura sacra proposita transcendere captum humanum: neque negamus in vaticiniis, præsertim nondum impletis esse, obscuritatem aliquam: neque affirmamus unumquemvis quocumque modo sese habentem pravus, perversis & præconceptis opinionibus imbutum, ex se & per se Scripturam sacram intelligere & verum eius sensum haurire posse. Neque, sicuti quidam hoc tempore etiam, tantum luminis & gratiæ divinæ de sensu Scripturarum sub lectione earundem infundi asserimus, ut non possint effugere veram & solidam cognitionem veritatis divinæ, etiam si ex malitia non assentiantur eidem. Sed in rebus ad salutem necessariis ei, qui debito modo per preces sese præparat, illam

C

tam

tam perspicuam & claram pronunciamus, ut eadem lecta
vel audita quisque possit verum sensum percipere & ad salu-
tem erudiri. Ubi tamen quoad cognitionem pleniorē
& perfectiorē notitiā linguarum Originalium, &
quæ ad textus analysin & veram interpretationem
requiruntur, non excludimus, sed includimus. Et
hanc claritatem probamus ex nostro dicto: Quæcunque Scri-
ptura est iūm lucerna lucens in loco caliginoso, tūm Phospho-
rum in cordibus hominum inducit, illa in se est clara & perspi-
cua. Major suā luce radiat. Sed Scriptura sacra est talis, ut
ex Analyfi Philologica patet. E. Quæ hic *Cornelius Lapidus*,
& quidem in comment. hujus loci, in contrarium affert, non
sunt lapidea, sed arenosa & facile possunt dirui; quippe falso
superstructa fundamento, cum partim à gradualī obscuritate
V. Testamenti respectu Novi collectio inconsequens institua-
tur ad obscuritatem ipsius Scripturæ sacræ; partim quoq; con-
tradictorium sit lucernæ jam lucenti aliunde velle lucem in-
ferre. Si enim jam tum habet lucem, ut luceat, utique quo-
ad illam lucem ipsi non necesse est, ut inferatur aliunde aliquid
lucis. *Bellarmini L. 3. de V. D. c. 2. exceptio*, quam *Gretserus*
Tom. 1. defens. p. 1146. repetit, Scripturam esse lucidam respectu
illuminati intellectus, quatenus actu intelligitur, nulla est,
Siquidem tali modo non esset in se & per se lucerna lucens,
neque de ea dici posset, quod illuminet oculos. *Psal. XIX, 9.*

IV.

Causæ Instrumentales Scripturæ sacræ ha- buerunt mandatum scribendi.

Quicumque Spiritu sancto impulsī locuti sunt & scripse-
runt, illi ex mandato Spiritus sancti locuti sunt & scripse-
runt. Sed Prophetæ Veteris & Apostoli N. Testamenti
Spiritu sancto impulsī locuti sunt, & scripserunt. E. Ma-
jon

ior patet, quia ille impulsus Spiritus sancti mandatum aliquod internum includit, cui innixi loquebantur & scribebant, licet nonnunquam apud quosdam quoque accesserit mandatum externum. Minor expressè in his verbis, & quidem ideò, quia loqui & scribere in Scriptura sacra permittuntur; hinc etiam verfic. precedenti mentio fit *γὰρ φῆς*, quæ huc etiam referenda, quoad hunc impulsus Spiritus sancti, imò expressè ipse DEUS, Os. VIII, 12. ait: *scripsi ipsis magna legis meæ; & sic ex instinctu suo Mosaicam scripturam profectam dicit.* Conf. Joh. XXI, 24. Apoc. I, 2.

V.

Scriptura sacra adeò Perfecta est, ut traditiones eidem admiscendæ non sint.

1. Quoad prius membrum notandum, nos hic loqui non de Perfectione quantitativa, quæ respicit quantitatem librorum, quippe potuissent plures libri scribi divinitus, qui tamen ad perfectionem Scripturæ Canonicae à DEO non assumpti; sed de qualitativa, eaque non remissiva, quæ nos ad ecclesiam, vel Pontificem Romanum remittat, de quo nihil in Script. invenitur, sed regulativâ, sufficienti, ipsi debita & necessaria, partim quoad media, per quæ sola salutem æternam consequi possumus, partim quoad dogmata nos de vita DEO placente informantia. Et quidem de hâc perfectione quoad diversos status etiam aliter atque aliter judicandum. Siquidem suo modo perfecta fuit Scriptura V. Testamenti: ita tamen, ut ex ordinatione divina, quoad clariora fidei dogmata adhuc illa perfici potuerit: jam completo canone N. Test. illa perfectio suum quoq; accepit complementum, ita ut nihil addi detrahive ipsi possit, aut debeat. Apoc. XXII, 18, 19.

Cz

2. Tra

2. Traditionis vox variè sumitur etiam in Scriptura sacra, & quidem generaliter, teste ipso *Bellarmino L. IV. V, D. c. 2.* ut includat omnem doctrinam, sive viva voce tradita, sive scripta sit. Act. VI, 14. I. Cor. XI, 23. Specialiter, in quantum Scripturæ contradistinguitur, & sic latè vox traditionis etiam sumitur pro libera cerimonia ad *εὐταξίαν* & *εὐχρημοσύνην* ecclesiæ spectans, quomodo illius ceremoniæ genus jam in Scriptura extat, I. Cor. XIV, 40. vel strictè pro traditione fidei & cultum concernente, eaque vel ante, vel post Canonem. Nos in ultima significatione accipimus vocem Traditionis, quæ ad fidem & cultum DEI internum pertinentia proponit, & quidem post completum Canonem: quam in totum rejicimus. Hujus assertionis nostræ fundamentum contra Pontificios tale adducimus ex textu: Ad quodcumque ipse Petrus tantum remittit suos auditores, ut ex eo fidei confirmationem & constantiam in professione haurire debeant, illud perfectum est, quoad dogmata, fidem & cultum concernentia, & Traditiones omnes excludit. Sed ad Scripturam S. V. Test. & consequenter quoque N. Test. tantum remittit Petrus suos auditores, ut ex ea fidei confirmationem & constantiam in professione haurire debeant. E. Major per se vera est, cum aliàs Petrus nos salvâ conscientia non potuisset remittere ad id, quod imperfectum & insufficientes erat ad eorum fidem & constantiam corroborandam. Minor ex contextu. Confer. Pl. XIX. 8. Deut. IV, 2. Ap. XXI, 18, 19. Ea quæ Pontificii nobis opponere solent, facile refutari possunt, si modò attendatur, quod quædam *καὶ τὸ ἔντρον*, quædam *καὶ τὴν διάνοιαν* & immotam consequentiam continentur in Scriptura sacra, & quidem in quantum ad salutem sunt necessaria; propterea Joh. XVI, 12. non nova quædam dogmata, sed clariorem tantum eorundem explicationem CHRISTUS intendit, ut patet ex vers. 13, 14. & cap. XIV, 25, 26.

VI. An-

VI.

Antiquitas Ecclesiastica priorum quinque
seculorum non debet dici principi-
um secundarium credendi, & do-
gmatum Theologorum.

Primum hoc erit intelligendum de eo, quod propriè dici debet principium secundarium, si enim absolute & *κατὰ γενεάν* hic loqui vellemus, utique illud minimè ad palatum eorum esset, qui singularem *ἀνεπίθετον* Theologicam spirantes, hunc ipsum loquendi modum adhibent: alias enim fortè eo nomine ipsum Ecclesiæ testimonium externum insigniri, licet impropriissimè, posset. Nos his præsuppositis, ex textu nostro ita concludimus: Quicquid in se consideratum humanam voluntatem, & non impulsam immediatam Spiritus sancti agnoscit, illud non potest esse principium secundarium credendi & dogmatum Theologorum. Secundarium enim principium, quod propriè dicitur, non potest esse diversæ naturæ à principio primario; siquidem ipsi subordinatum esse debet. Conf. *B. Jac. Mart. disp. 7. de principio fidei contra Calvinianos*: alias enim non est secundarium principium, sed profus diversum, & principium propriè dici non poterit: humana verò voluntas hic immediatè opponitur impulsui Spiritus sancti: addo, in se consideratum, fieri enim potest, ut nonnunquam id, quod ex voluntate humana oritur, ex alieno etiam quædam petat, quæ sanè hinc non spectant, sed ad id principium referenda, unde desumpta. Antiquitas Ecclesiastica priorum quinque seculorum in se considerata humanam voluntatem, non immediatam impulsam Spiritus sancti agnoscit: quia nullibi in Scriptura sacra ejusmodi impulsus Spiritus sancti ipsi Antiquitati Ecclesiasticæ promittitur: promittitur quidem *Matth. XXVIII, 20.* divina gratiosa præsentia Ecclesiæ, ex quâ tamen non licet argumentari ad re-

ificationem & consensum Doctorum ecclesiae infallibilem;
siquidem eum in finem illa praesentia ecclesiae non est pro-
missa, praeterea quoque consensus ille valde dubius & incer-
tus, ut instar principii secundarii non possit haberi. Alia au-
tem prorsus, & diversa ratio est, quando Nostrates Theologi
inter normam fidei & rerum credendarum distinguunt, & in-
ter normam confessionis & discretionis, qua scilicet aliae Ec-
clesiae & quoad res & modos loquendi a nostra confessione
dissentientes discernuntur. Plura quidem hic de Norma &
Canone Scripturae sacrae adduci possent, sed hac vice non
permittitur, Propterea ob concessam Spiritus
sancti gratiam sit.

SOLI DEO GLORIA



Ad

Præstantissimo atq; Pereximio Dn. Respondenti.

HÆc demum vera est Sapiencia, gloria vera,
Quam divina docent Biblia, verba Dei.
Felix qui studiis tam sanctis deditus, omnes
Intendit vires ausibus egregiis.

Hoc agis assiduò, VOGELI, dia frequenter
Dogmata scrutaris. Laudat id ista thesis.

Gratulor hos orsus: libros sic perge Sacratos
Volvere. nã virtus crescet & artis honos.

Gratulab. approperab.

Johan. Scharfius D.

Præses.

DUm de Scripturâ proponis dogma, VOGELI,
Monstrando Fedus, tum Vet us, atque Novum,
Esse ipsam Normam claram cunctisque legendam.

Atque Patrum, testis, scripta tenere locum,
Ingenium ostendis, studiumque, tuumque laborem,

Quantæ & sit cura litera sacra tibi.

Gratulor hos ausus, feliciâ quaque precatus

Numinis ut fructus sentiat hosce domus.

M. Christianus Bilefeld, Lub.

Coll. Philos. Adj.

Conscendis cathedram fidei cum Præsede verum
Principium mirâ dexteritate probans, (lus;

Consensum non esse Patrum: nam non datur ul-

Nec Papam, tenuis nec rationis iter;

Sed solùm sacra divini mysteria Verbi,

De quæis sunt animis fulcra petenda piis.

Sic

Sic frangis verbo pignantia dogmata sancto,
Atque doces summi jussa verenda Dei,
Pergito plus ultra pro vero ducere bella,
Cujus bella geris præmia magna dabit!

gratulabundus de prope.

Adrianus Dauth, Brunsv.

Netzt da der frühe Lenk die kalte Luft verdringet /
Schawt jedermann mit Lust wie frölich daß sich
schwinget

das leichte Feder-volck: Sie stimmen lieblich an /
so daß man ihr Gedicht von weiten hören kan;
Der Lerchen Tierelier erfreuet Herz und Sinnen /
durch ihre krause Stimm muß man sie lieb gewinnen /
je höher daß sie steigt / je lieber ist der Schall /
sie locket aus der Luft jhrs Gatten Wiederhall.
Mein Freund so thustu auch / man kan dich recht vergleichen
Den Kindern in der Luft / du schwingst dich zu erreichen
was überirdisch ist; wie hebstu dich empor
man hört was dein Verstand mit Freuden bringet hervor.
Der That gleicht der That. Du Vogel läst dich hören /
der Feinde Widerwill kan niemahls dich bethören
zu hemmen deine Zung; du stimmest so mit eyn /
daß stets die Wahrheit muß von dir besungen seyn.
So fahr den weiter fort / man wird noch eins dich sehen
durch übermanten Fleiß hoch auf den Zipffel stehen /
und hören daß man sagt: Ein solcher Tugendruh
sol stets hinführo seyn des Vogels Eygenthumb.

Also setzet und wünschet seinem
herzwehren Freunde

Johannes Burius, Luneburgensis.

Umg. VI 19

ULB Halle 3
003 144 232




TA 50L
SR. 124: NMM 100

VD 17 E







DISPUTATIO THEOLOGICA
De
PRINCIPIO
FIDEI

tâm V. quàm N. Testamenti,
in quâ
Vers. XIX. XX. XXI. II. Epist. Petr. Cap. I. eno-
dantur, & ab adversariorum corruptelis
vindicanur,

ANNUENTE GRATIA DIVINA,
PRÆSIDE,
UIRO

Plurimum Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo,
DN. JOHANNE SCHARFIO,
SS. Theol. Doct. & P. P. longè celeberrimo, Col-
legii Seniore, & h. t. Decano spectatissimo, Dn. Præce-
ptore, Patrono ac Promotore suo omni pietatis & obser-
vantiae cultu æternum prosequendo,
ad ventilandum proposita

à
CHRISTIANO VOGELIO,
Ang. Saxone.

In Acroaterio majori, d. 8. April.
H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS ROHNERI Acad. Typogr.
Anno M. DC. LII.